

Etos populos , specie religionis abstractos , in ipsum inci- 1589
 taret , ut Galliam omnem post innumeras clades calamita-
 tesque & intestina bella pessum daret ; conjunctam & inte-
 gram , unum vastis illius consiliis , quibus reipublicæ chri-
 stianæ imperium nitebatur , obstaculum esse : ea divisa ac
 prostrata , nihil , quo minus assurgat , atque in immensum
 fere excrescat , impedimento fore : ea consilia diu coquenter
 compressisse ; nunc undique erumpere , neque amplius obtegi
 posse ; artes , quibus tot tantaque moliretur , in obscuro non
 esse : se nihil , quo pacto Lusitaniam adeptus , nihil quo
 India orientali potitus , potius quæ satis nota sint , dicturum :
 an id prætermitti posse , nuper Sabaudiae Ducem sibi gene-
 rum adscivisse , ut externa auxilia Italiæ Principibus adime-
 ret ; Insubribus subalpinorum vires adsecisse , ut ex ea
 parte , veluti extracto propugnaculo , huic provinciæ immi-
 neret ? His opportune a Republica una cum Gregorio
 XIII. obviam iri potuisse : at fatali cunctatione otiosa spe-
 ctantibus , id accidisse , quod Livius , romanæ historiæ scri-
 ptor egregius , Alba contigisse commemorat : modo ab Helve-
 tiis ac Rhœtis iter in Italiam præcludere ; Mediolanique impe-
 rio eas gentes copulare adnixum , ut prorsus Italos Principes
 externis præfidiis nudaret , atque aditum in Galliam ad subve-
 niendum Regi obsepiret ; modo Catholicos , incusso religionis me-
 tu , ab ope Henrico ferenda absterrere ; modo hæreticis , si id ag-
 grediantur domi , Catholicorum armis minari ; clypeo religionis
 obarmatos omnia sursum deorsumque Hispanos miscere ; infimæ
 plebis oculorum aciem perstringere ; potentissimum regnum scin-
 dere , perturbare , confundere : eo vastato , direpto , everso , quid
 aliud superesse , quin liberrime per Italiam atque universam
 Europam , quo libido dominandi rapuerit , deferantur ? Quid
 enim modo commemoraret , præsidium Currigio impositum , Italos
 Principes variis modis devinctos , Pontifices ingentibus be-
 neficiis illectos ? Forsitan (inquit) Gregorio ulterius vitam pro-
 ducente , exorta tempestas aliqui Reipublicæ fuisset . Nam quo
 minus imperium in Italia proferant , vos illis impedimento es-
 se intelligunt . Hetruscis arcium compedes injectos ; Mantuanum
 ac Ferrariensem non iis viribus esse , ut quidquam moliri possint .
 Vos uni , vos , inquam , uni ii estis , quos eorum potentia , ad
 li-